

**Petri Burmanni Somnium, sive iter in Arcadiam novam, publice narratum in
majori Academiae Ultrajectinae Acroaterio. Ad diem IX. Septembris
MDCCX.**

Contributors

Burman, Pieter, 1668-1741.

Publication/Creation

[Utrecht] : [publisher not identified], [1710]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/svsu39h4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4

PETRI BURMANNI
SOMNIUM,
SIVE ITER IN
ARCADIAM NOVAM,
PUBLICÉ
NARRATUM
in majori Academiae Ultrajectinae
Acroaterio

Ad diem ix. Septembris cccc 1580.

PETRI BURMANI
SOMMUM
SIVE ITER IN
ARGADIA NOVA
PUBLICE
NARRATA
in italiori Accademice Litterarum
Acto anno

anno 1712. Septembris 10. 1712.

SOMNIUM, SIVE ITER IN ARCADIAM NOVAM.

CUJUSCUMQUE LOCI, ORDINIS, DIGNITATIS, ET DISCIPLINAE AUDTORES HONORATISSIMI.

Somnium, quod nuper nocte quadam, non quidem ebria, sed soluta tamen curis, vidi, ad vos, ut conjectores mihi sitis, defero. Satyram dicetis, & in suburbano secessu, aurora jam rubente, a vigilante fictam & elaboratam; neque, ut ingenuus sim, multum a vero prima haec conjectura vestra abhorret. Ne tamen mordacem aut probrosam vobis fingatis, sed lepidam & Varonianam; quae solos Arcadiae incolas, id est, doctrinarum corruptores & pestes tangat, qualem neque leges ullae vindicant, neque honesti mores aversantur, neque ipso Catone acerbior censor jure notare posset. Satyram recitabo, qualem Germana fide *Fabrieius*, Italo acumine *Ferrarius*, Batava simplicitate *Nannius*, antiquis moribus *Li-*

psius, lactea eloquentia *Cunaeus*, Francico sale
Menagius, & quidquid umquam ingeniorum in
nostra patria vel alibi floruit, impune luserunt,
ut seculi sui inficitiam & barbariem publicum jo-
cum risumque facerent. Et quamvis Principes
illi in literis viri suo sibi jure, & pro summa in
republica literaria libertate, saepe vivis videntibus-
que acerbissima funera duxerint, neque umquam
legibus in illos anquisitum fuerit, ego tamen tan-
tum mihi non sumam, neque superstitem quem-
quam, qui aliquod inter eruditos nomen habet,
rangam. Unum tamen, quem obtrectationes &
calumniae, summis in quacumque disciplina viris
intentatae, communem omnium literatorum, la-
cerati vero Praeceptoris unici, decessoris mei,
Graevii manes, privatum mihi hostem fecerunt,
non omnino intactum abiturum praemoneo. Ne-
que tamen scurrilibus eum, exemplo ab ipso re-
petito, conviciis lacestere, sed urbano sale tan-
tum perfricare decrevi. Unde non majorem me
invidiam mihi conflaturum spero, quam alii, qui
ex omnibus eruditorum ordinibus in ejus ambitio-
nem & arrogantiam tela torserunt, contraxerunt.
Et cum ex hoc ipso suggestu gravissimos nuper
† Theologos, in ejusdem hominis, omnia sacra
contaminantis, & mysteria veneranda profanan-
tis, temeritatem detonantes acquis auribus audi-
veritis, spes me non exigua fovet, vestrum mihi,
in his levioribus Grammatices & Critices, ut con-
temptim appellare solet, studiis ejus ineptias &

† H. Witzium & H. Pontanum.

fa-

fatuitatem ridenti, favorem non defuturum. Sed ne peccati aliquid operosior praefatio portare videatur, ad ipsam fabellam adgrediar. Arrigite, quaeſo, aures, & mecum, tamquam in Pictoris pergulam, ubi nihil veri, sed omnia ficta, ascendite, & si tabella, quam hodie propono, arte quadam expressa, & vivacibus coloribus animata vobis videatur, applausu & faustis ominibus meos pro interioribus literis conatus prosequamini.

Noxerat, & liquido resoluti membra sopore
Alta quies gratâ fessa novabat ope.
Plenior adsueto, fratrique simillima morti
Venerat, officio, candide Bacche, tuo.
Nam, licet obliquo rodant hoc dente malighi,
Saepe mihi modico tempora rore calent.
Nec pudor est dulci curas lenire Lyaco,
Nec soleo siccus semper inire torum.
Hostibus hoc poteris narrare, Calumnia, nostris,
Et facere invidiam moribus inde meis.
Pulle, tribuniciis captans clamoribus auras,
Plebs sciat indicio, Doctor, id ima tuo.
Sic posito, medium manifestâ luce serenans,
Mercurius, noctem, visus adesse mihi.
Et, mea somniferâ permulcens tempora virgâ,
Hos dare facundo protinus ore sonos.
Quem tu praecepuo coluisti semper honore,
Quique tibi toties dexter, Apollo, venit,
Huc me ferre gradus, vacuumque peraëra raptum,
Me duce, non notas te jubet ire vias.

A , Nec

Nec tibi Parnasi monstrari culmina mandat,
Quasve habitat sedes ipse, novemque Deae.
Nec petere Aoniam, gelidive cacumina Pindi;
Illa tibi puer cognita terra fuit.
Has tibi jam tenero detexit *Graevius* oras,
Quo duce post Latium Graecia preffa tibi est.
Castalios latices, dulcesque Aganippidas undas
Jam tibi potandas *Francius* ante dedit.
Broukbusioque tuo sacri praeante recessus,
Antraque Coryciae sunt venerata specus.
Hinc tibi non tenues in carmen amabile vires,
Hinc rigat ingenium vena benigna tuum.
Hinc etiam studiis dos admiranda severis,
Lumen & ingenuis artibus omne venit.
Sed, quia, quo, nescis, tot inepta poëmata fonte,
Stultaque, miraris, scripta tot unde fluant.
Unde tot indocti foedent tua secula libri,
Et qua proveniant tot nova monstra schola;
Qua sita BARBARIES sit parte, inamabilis ora,
Quo rude stultorum regnet in orbe genus.
Eia age, & inculti si non deterreat agri
Horror, ait, tepidi strata relinque tori.
Ne tamen indoctae noceant contagia plebis,
Hoc prius arcano membra liquore lava.
Dixit; & e phiala redolentem nectare succum
Promit, & ambrosio tingit odore caput.
Pars bona Cecropii fragrabat munus Hymetti,
Seu Siculos, quos das, nobilis Hybla, favos.
Altera pars, Cypriis pressus de floribus humor,
Pars quoque Palladii multa liquoris erat.

Pe-

Pegaseis dederant lymphis haec mixta Camenae
Mercurio, doctis pharmaca sacra viris.
Tetraque ne puras vitiarent toxica mentes,
Antidotum Pacan jusserat esse potens.
Sic ubi munierat; me raptum crine per auras
Tollit, & exiguo tempore sistit humi.
Et breve cum spatiū mirarer, Barbara, dixit,
Ut loca contingas, non mora longa venit.
Illa jacens cultis tellus contermina terris,
Finitimo vestrum limite tangit agrum.
Nec via praeruptis horrenda, nec aspera saxis
Impedit, aut vepres spinave crura secant.
Nec tibi naufragium scopuli minitantur acuti,
Nec freta terribilis sunt superanda maris.
Mille patent aditus, & per compendia planae
Plurima dat tritum semita vallis iter.
Hinc numerosa colit regionem turba patentem,
Vixque suum populum, sit licet ampla, capit.
Sed cum Barbariae non sit genus omnibus unum,
Hinc varias sedes gens sibi quaeque legit.
Quinque tenent populi, discretis finibus, amplam,
Dissimiles studiis ingeniosisque, plagam.
Per tamen has omnes te circumducere gentes
Si cuperem, nox haec non satis una foret:
Atque ideo leviter primas perstringere partes,
Ducere sed mens fert interiore moras.
Prima tenent Mystae, specie venerabilis ordo,
Quique rudem populum religione trahit.
Nube supercilii, & contracta fronte minaces,
Quis pietas acies mentis habetur hebes.

Ex-

Explicat haec aliis gens sancta oracula; linguas
Nec bene, quis nobis prodita, mente tenet.
Et quia, ubi tractant haec vere sacra periti,
Ceditur his princeps, nec sine jure, locus;
Hinc etiam stolido vates dominantur in orbe,
Et sibi Barbariae debita sceptrta ferunt.
Sacrificam hoc turbam moderatur tempore Calchas,
Nomen ab oppresso qui Palamede tulit.
Hosego, sim quamvis Deus, interpresque Deorum,
Non nisi sollicito suetus adire gradu.
Tu quoque, si sapias, hanc gentem tangere noli,
Vibret in innocuum ne Jovis arma caput.
Nam memores iras, ignoscere nescia, nutrit,
Nec timet in fratres bella movere suos.
Sed, puto, te facient exempla domestica cautum,
Fataque te retrahent Patris Avique tui.
Proxima, Caussidicis impleta loquacibus, ora
Terrifico reboat nocte dieque sono.
Sol ibi perpetua latet os caligine tectus,
Raraque per nebulas lucis imago venit.
Nulla dies caecis, sed opaca crepuscula noctis
Ambiguos faciunt saepe labare pedes.
Hinc etiam manco pars passu magna vacillat
Turpiter, & nutans partem in utramque cadit.
Adde, quod & spinis rigeant & vepribus agri,
Et faciat dubium latro cruentus iter.
Hic habitant lites, & amarae jurgia linguae,
Hic fera sublatâ proelia pace vigent.
Jura dat hoc rabulis Dictator † Rusticus anno,
Verba rudi fundens semilatina sono.

† Rabula forensis, vulgo Boer dictus

Hic,

Hic, modo si primos intraverit advena fines,
Omnibus exutum tabe perire jubet.
Tertia, non doctis habitata Medentibus, ora
Barbarie crassa vincit utrumque genus.
* Hic animo turpi, & vitioso corpore, mille
Caedibus imperium nobilitatus agit.
Hanc quoque ne spera, duce me, contingere terram;
Qua patet, humano tincta cruore rubet.
More Thyesteo laniantur corpora cultris,
Non tumulus cineres, non tegit ossa lapis.
Ossea distracta per compita carne figura
Ponitur; infestant spectra tremenda vias.
Ille canem lacerans, hic nudans viscera felis,
Se putat humanum demeruisse genus.
Ille venena coquens, vitiatas inficit auras,
Fervidaque Aeaeis ponit ahena focis.
Hic, sibi Mercurio visus sollertior ipso,
Excoquit & flammis dura metalla novat.
Hic magicas herbas, unguentaque jactat Agyrtes,
Nec dubitat medio vendere verba foro.
Omnibus at ratio, & Medicum qui perficit, usus
Deficit, & morbi caussaque visque latet.
Terra salutiferos non illa Machaonas umquam
Vidit, tortores Carnifexque tenens.
Est avis in terris Medicus quoque doctus amoenis
Mirifica, & cygno rario ille nigro.
Cumque tot occurrant, vix est de millibus unus,
Qui capiat Coi scripta verenda Senis.
Graecia, divinam quae nobis prodidit artem,
Vix Medicis nudo nunc bene nota sono.

* Anatomicus utroque pede claudus, & vita turpis.

Finitima his regio, distinctaque limite parvo
Quarta jacet, falsis trita frequensque Sophis.
Gens ignara jugi, nullo sub Principe, sectas
Mille fovens, semper seditione tumet.
Pectoris indicium sed longam vana severi
Esse putat barbam, quae tegit hirta genas.
Pallia circumdant macie detrita perebos,
Dextra tenet baculum, peraque terga premit.
Lucifugae tristes hominum commercia vitant,
Raraque de tetrico pectore verba fluunt.
Hanc quoque praetereras, placidae si cura quietis
Sit tibi, nam caecis est via plena dolis.
Qui fugiunt oculos, laqueos & retia tendunt:
Saepe tenent strictos subdola lina pedes.
Cingitur obscurâ fallax indagine tellus,
Ut cadat in teatas capta juventa plagas.
Praecipue sacris haec gens inimica Poëtis,
Bellaque cum Musis semper aperta gerit.
Nec Latius sermo, nec Graecus provenit illis,
Sed tamen ex lingua mixtus utraque sonus.
Qualia nec Lunâ Medea benefica plenâ
Murmura, Canidia nec crepuere minac.
Omnia traduntur magicis implexa susurris,
Verbaque, quae fundit, non capit ipse Sophus.
Et licet hîc sedeant tristi gravitate magistri:
Non tamen illecebris fallere turpe putant.
Ante aditum Logice patranti lumine lena
Nictat, & imberbes insidiosa vocat.
Intus habet meretrix, Sapientia falsa, cathedram,
Et Sophiae titulo templa dicata tenet.

Qua

Quatuor his, tellus amplissima, clauditur una,

Vndeque quam fluvius cingit inertis aquae.

Haec reliquis vulgo jactatur amoenior ora,

Ruraque finguntur deliciosa magis. (qua

Terraque cum Mystis, Rabulis, Medicisque propin-

Haec sit, & attingat proximitate Sophos;

Omnibus ex illis huc partibus adfluit agmen,

Turbaque per pontes itque reditque frequens.

Incola divinas humanasque improbus artes

Jactat, & ingenii fertilioris opes.

ARCADIAMQUE Novam, veteris de nomine, dicunt:

Nam solet haec prisca gens simulare sonos.

Hic pecus auritum nebulosis saltibus errat,

Et tumidum tollit sidera ad alta caput.

Haec regio est, quo te me ducere jussit Apollo,

Haec propero nobis est adeunda pede.

Huc ubi me saltu traduxerat Aliger uno,

Protinus est specie mens mihi mota novâ.

Haecce, magne Deus, mage culta prioribus ora,

Haecce finitimos vincit amoena locos?

Cor tremit, & foedi conspectu palpitat agri,

Membraque vix tactâ concutit horror humo.

Margine coenosâ steriles en fluminis ulvae,

Et luteam ripam canna palustris obit.

Non nemorum video laetos ridere recessus,

Non spargit virides arbor opaca comas.

Gramine non campi, non flavent messibus agri,

Florea non Zephyrus frigore rura juvat.

Et nive brumali montana cacumina canent,

Quae tepidis numquam solibus icta fluit.

O Deus, has propero terras fuge, doce, volatu,
Et mea felici membra repone loco.
Non ita fas, inquit; Te Phoebus squalida rura,
Et fatuis plenos visere jussit agros;
Quo nemus Aonium, sacrasque libentius umbras,
Et loca deliciis uberiora colas.
Ut preium discas doctrinae ponere verum,
Barbaries debet nuda patere tibi.
Vix ea fatus erat; cum se tulit obvia nobis,
Nescio quo voces murmure turba movens.
Vestis erat vario distincta colore catervae,
Nec modus immensae garrulitatis erat.
Mox saliens ripa, picarum more, lutosa,
Guttur raucisono ter geminabat; Ave.
Praesul, ut aëris numen cognovit ab alis,
Stultitiae coepit carmine signa dare;
Et stolida implicitos lingua devolvere versus,
Quos alaci plausu cetera turba probat:
Nam, quia, translati elementis, nomina multis
Mercurii poterat vertere fracta modis,
Picria similem sibi non credebat in arte
Vivere, nec lepidis versibus esse parem.
Et quia, quae spatio superabat, litera fratres,
Proderet arcana tempus & arte diem;
Ingenii trunco fixit monumenta stupendi
Arboris adventum testificata Dei.
Hic mihi cum rursus quateretur frigore corpus,
Auspicio & tremeret cor mihi triste malo;
Expediit virgam Deus, & caput icit inepti
Yatis, & aeterno membra sopore ligat.

Nec

Nectamen in somnis Anagrammata fundere cessat,
Temporis aut certi carmina plena notis.
Vix pede promoto venit ecce molestior alter,
Et fatuâ tales dat levitate sonos.
Est mihi Rhetoribus subducta oratio claris,
Qua soleo magnos concelebrare Deos.
Hac ego, mutatis, toties jam Numinâ, paucis,
Laudibus in coelum, plebe stupente, tuli.
Haec toties Satyros, & mulxit concio Panes,
Et tenuit Nymphas vox mea saepe leves.
Hanc tibi, nam furum Deus es, recitare libido,
Si vacuas aures tuque comesque datis.
Nec mora; sed cultos ubi circumspexit amictus,
Oraque composuit, conticuitque diu;
Tussiit, eque imo suspiria pectori duxit,
Sic tandem attollens coepit utramque manum.
Corniger, o nostris regnator maxime silvis,
Quem colit Arcadii splendor asellus agri.
Lanigeri tutela gregis, coeleste bovilis
Praesidium, & foedae nobile numen harae,
O bene! quod nostris resonet tua fistula campis,
Et caper ad dulces saltet ovisque modos.
Sed non Mercurius praeconia debita Fauno
Sustinet ulterius, nec sibi scripta, dari.
Et fériens virgae perficitam verbere frontem
Dejicit, & foedo contegit ora luto
Ingemit, &, magni casum miserata magistri,
Supplicium furum turba veretur idem.
Et, fer opem, nam sola potes, nocturna Laverna,
Clamat, & occultis eripe, Diva, dolis:

Si parat hanc purgare viris furacibus oram,
Arcadiam parvo tempore nemo colat.
Ille parens furum, Cacoque rapacior ipso,
Vindicat in nobis; quod facit ipse, nefas.
Quis ferat Autolycum piperata tangere dextra
Omnia, nec socios criminis esse pati.
Haec cine num similes inter discordia concors,
Haec fraterna tibi jurgia, Diva, placent?
Non tulit obscurae Deus convicia turbac;
Carcere, sed faciam, furta luatis, ait.
Nam mihi cum turpi nihil est commune Laverna,
Nec, duce me, quisquam furta nefanda facit.
Auspiciis quicumque meis furatur, honeste,
Tristia nec domino damna querente, rapit.
Sed mora, futilibus quam primo margine nugis
Injicitis, dudum taedia mille dedit.
Interior nobis regio penetranda, molesti
Cedite, festinis, sic volo, detur iter.
Turba odiosa fugit, se post spineta recondens,
Tertita pennigeri voce minisque Dei.
Restitit at * corvo ferali nigrior unus;
Et caput & piceis horridus ora pilis.
Frigida Nasonis verbis epigrammata suetus
Texere, vel vatis, Bilbilis alta, tui.
A teneris doctus famosos condere libros,
Sacrilego aut magnos ore notare Deos.
Aut, olido didicit quae fornice, mittere verba,
Opprobrium Linguæ, Roma diserta, tuae.

* Medicus H. Spoor dictus, auctor inepti & stultissimi libelli, qui
Favissae Utriusque antiquitatis vocatur versibus partim obscaenis, par-
tium impiis, & tamen omnibus insulis & barbaris, plenus.

Criminaque in Pediam solitus, quot carmina, legem
Tot facere, & levibus vulnera mille modis.
Malleus e ferro, metuens qucm dextera fustis
Gestabat, baculi vindicis instar erat.
Coepit hic obscaenis Epigrammata promere labris,
Carmine famoso meque ducemque notans.
Sed Deus arrepti limoso gurgite dextra
Obruit impurum terque quaterque caput.
Oppletamque luto, quae tot convicia, linguam,
Fuderat, exsecuit, labraque junxit acu.
Et mutilum palo corpus suffixit acuto,
Membra darent corvis ut laceranda cibos;
Seraque posteritas, exemplo territa tali,
Disceret a turpi mentem inhibere probro.
Mox tamen ecce aliud se nobis obtulit † agmen,
Et parat officio nos retinere novo;
State viri, clamans; regionem viscere nostram
Si sedet, hinc vobis dux capiendus erit.
Nam regit ambiguos non h̄ic via regia gressus,
Inveniet rectum nec peregrinus iter.
Ducimus errantem nos per compendia turbam,
Tangitur & spatio meta cupita brevi.
Arcadiac quicumque cupit contendere ad arcem,
Quae medio montis culmine vasta patet,
Nos modo si sequitur, non longas ingemet artes,
Sentiet aut aevi se brevitate premi.
Non gravis accinctos h̄ic urit sarcina, libri
Non juvenum duro pondere colla terunt.
Nec magis h̄ic fesso manat de corpore sudor,
Quam si quis faciat languidus Urbis opus.

† Doctorum Compendiariorum.

Protulit ut ductor studiosae haec verba ceteræ,
Aëra pars magnâ cetera voce ferit.
Et manibus parva pretendens mole libellos,
Ut legerem titulos ambitiosa petit.
Indicibus variis, quos nunc exponere non est,
Spondebant faciles ad studia alta vias.
Qualiter, Amsteliam si quis peregrinus ad urbem,
Cui Paphiis aetas lusibus apta, venit,
Protinus, infamem promittens pellere morbum,
Porrigitur turpi charta pudenda manu.
Qua miser in fraudem si spe deceptus inani
Incidit, errorem tempus in omne dolet.
Sed medicum longo si doctum consulit usu,
Has juvenis technas insidiasque cavet.
Sic ego Mercurii didici contemnere jussu,
Quae studiis cladem, subdola dona, ferant.
Nam ptocul hinc, dixit Deus, i lenonia turba,
Artibus exitium nata creare bonis:
Quae mala mens partes alienas sumere suasit?
Munera quid, ductor perfide, nostra rapis?
Me pater incertam jussit conducere pubem,
Et via sub vestro numine, dixit, erit.
Mercurium venerata Ducem, sibi docta vetustas
Ad Sophiae verae limina fecit iter.
Indice me Graecis patuere sacraria Phoebi,
Et Latium vidi, me duce, templa Dei.
Quos prior insignes, quos haec fert senior aetas,
Sidera conscendunt, me comitante, viri.
His ego doctrinae spatirosos detego fines,
Et praeco lento lata per arva gradu.

Vna, sed illa via est longissima, plena laboris,

Et quam difficilem multa salebra facit.

Hanc quicumque tenet, nec devia quaerit, honesta
Dulcia doctrinac praemia fronte geret.

Meta triumphales ostendit longa coronas,
Barbarie domitâ quas sibi victor habet.

At vos, qui petitis spatio *compendia* parvo,
Perpetuâ torpor tabe perire sinat.

Ite, redite vias, o socors agmen, easdem,
Sisyphio suetum volvere saxa modo.

Haec Deus; at celeri per tritos concita calles
Barbariae repetit culmina turba gradu.

Sed quia non ultra, quo tenderet, esset, eodem
Tramite mox versos fertque refertque pedes.

Haud procul hinc, piceis obscuro floribus arvo,
Serta sibi nectens visa caterva fuit.

Spectabant omnes, demisso vertice, terram,
Et gremio lectas quisque premebat opes.

Quod genus hoc hominum, ductor fidissime, dixi?
Quem, precor, in finem tot sibi serta parat?

Quae luteos tanto studio decerpere flores
Stultitia est, & vix germina digna legi?

Audiit in prati repens mea margine verba
Unus, & attollit lumina, nosque notat.

Hos, precor, o Juvenes, devertite, clamat, in hortos,
Si studium cultae pectora vocis habet.

Carpite de calathis suavissima munera plenis,
Eloquii nostrâ vis bona crescat ope. (bis;

Sive opus est gravibus, simulant quae fulmina, ver-
Pectora vel placidis flectere lenta sonis.

Sive placet vobis vibrans sententia, vel quae
Lumina sermoni, clara figura, facit.

Seu juvat exemplis conferre recentia priscis,
Seu juvat arguti fabula plena joci.

Omnia de largo fundet mea copia cornu,
Multaque sermoni gratia semper erit.

Tot mihi jam famam debent nomenque diserti,
Et visa est nostro munere lingua potens.

LANGIUS ille ego sum, trivialis fama palaestrae,
Nec minus in magnis notus ubique scholis.

Purpureos docui centonibus addere pannos
Rhetoras, & rapto vivere, primus Ego.

Per mea post ingens vestigia turba cucurrit,
Floribus ut veterum jam prope prata vacent.

Hic *Polyanthea* est, hic *colletanea* vobis
Dantur, & e doctis *formula* multa libris.

Hic *gradus* ad sacri Parnasi culmina ducit,
Hic tibi divitiis plena favissa datur.

Haec *dormi secure*, haec *mecum vade* vocatur,
Haec *comes* in longas charta parata vias.

Instruit haec Vates Oratoresque *supellex*,
Haec inopi grandes *Gaza* recludit opes.

Jamque suas nobis operosas tradere nugas,
Corporis & vasti vile, parabat, opus.

Cum Deus, o sterili merito damnate labore,
Has pueris merces vende, magister, ait.

Non eget his, puros solitus qui ducere fontes:
Sed Tibi limosas sponte relinquet aquas.

Degener est, curâ qui non cumulare percenni,
Et struere immensas ipse laborat opes.

Sic,

Sic, pecus ignavum, fuci subducere gaudent,
Quae studiosa sibi mella coëgit apis.
Jamque Deus pergebat iter: mox impulit aures
Apposita veniens raucus ab aede sonus.
Stabat humi depressa domus, caligine septa:
Firmabant rigidae lumina caeca fores.
Carceris haec species, Deus inquit, inertis; & illum,
Quem trepidas, faciunt ferrea vincla fonum.
Hic humiles obscura premunt ergastula lixas,
Quos jubet a castris Phoebus abire suis.
Hic capita aerumnis habitant damnata supremis,
Poenarum miseros hic genus omne manet.
Grandia vesanis hic plebs ingloria curis
Lexica, terribili mole tremenda, facit.
Hic sibi *Thesauros* linguarum congerit, ille
Nomina quis populus quisque notatur, habet:
Gesta ducum Regumque librum constipat in unum
Alter, & *Historiae Lexicon* esse jubet.
Temporis hic sudat ritus conquirere prisci,
Quae sacra, qui cultus, quae data jura foro.
Neve velit veterum lustare volumina quisquam,
Quae brevitas vitae singula nosse vetat;
Colligit Herculeis hic vastum *Lexicon* ausis,
Quod mare, quod terras, sideraque alta capit.
Tempus ad hoc, quodcumque a nato contigit orbe,
Ordine jam prodit litera quaeque suo.
Aspice, quam nigro CALEPINUS colla cucullo
Veler, & immundis faecibus ora linat.
Proximus, aeratis attritus crura catenis,
Ponderis HOFMANNUS sub gravitate gemit.

Aurea sed cohibent STEPHANORUM vincula dextras;
Nam tenet in tristi gens ea regna domo.
Pone sedent plures, tenebroso fornice clausi,
Quos nimium miseros vile fatigat opus.
Vnica sunt diro solamina carcere vinctis,
Quod soleat nexos visere turba frequens.
Nullus enim hac edit regione volumina, qui non
Hinc sibi praesidium supplice voce roget.
Carceris ignavis scriptoribus atria fervent,
Et colit obscuram vilior ordo domum.
Vnus ibi ante alios, pannosa volumina gestans,
Et sibi multiplici nomen ab arte petens;
Furtivisque notis Latios spurcare Poetas
Ausus, & iratis scribere multa Diis;
Vulnera qui dederat docto sine fine SEVERO,
Multaque reliquiis ALBINOVANE tuis;
Laeferat & laceri dispersa PHILEMONIS ossa,
Abstuleratque tibi, culte MENANDRE, sales;
Carceris umbrosi subiens penetralia, furtim
Regales Stephani despoliabat opes.
Quem Deus ut vidit, concepit fervidus iras,
Et pede protrusum jussit abire foras.
Et, cito te referas, o furacissime scriptor,
Dixit, ad ignavis antra dicata viris.
Inter Ephemeridum sartores regna teneto:
Serviat imperio bibliopola tuo.
His confecta levi summaria vende labore,
Crescat & indicibus res tibi curta datis.
Fataque, te, lector discat, praefante, librorum,
Donaque dent fatui, quis tua furta dicas.

Sed,

Sed, moneo, posthac ne Commentaria scribas,
Foedaque ne maculet scripta venusta manus.
Ordinis illa data est Criticis provincia primi,
Quaeque premit tantos aemula turba viros.
Hoc agat ille decus Franci *Salmasius* orbis,
Scaliger hoc docti Rex agat ille chori.
Lipsius hoc sumat, Belgarum gloria, munus,
Grotius has partes, *Heinsiadaeque* ferant.
Nec minor hanc curam generoso *Douza* parente
Vindicit, & Musis *Vossia* sacra domus.
Detergat veteris maculas *Gronovius* aevi,
Accumulet *Barthi* sedula dextra **notas**
Sacrilegoque tuo laceratus *Graevius* ore
Oblitos doceat verba Latina loqui.
Broukbusius nitidâ perfundat luce Poëtas,
Nec timeat Momos post sua fata rudes.
Hos tu semideos, quos addit gloria coelo,
Et dedit aeternum fama benigna decus:
Hos tu quotidie petulanti, Zoile, lingua
Caedis, & illorum crescere clade cupis.
Hos, tamquam fatuos, tua scripta procacia rodunt,
Et velut esset iners & sine mente genus. (ram,
Dum tonat haec, rabidamque Deus candescit in i-
Fur dederat turpi jam sua terga fugae;
Et pede suspenso vicinam repit ad aedem,
Antraque, quis tegeret crimina tanta, petit.
Dum fugit, agnosco; furemque prehendite, clamq:
Alterius rapuit praedo nefandus opes.
Supplicium metuat, scelus hoc qui cumque receptet,
Et dominis dubitet rapta referre suis.

Jamque Deo frustra justum remorante calorem,
 Accelero passus, injicioque manum.
Sic tibi, me vivo, tot abibunt crimina? dixi,
 Impia nec turpi sanguine facta lues?
Quae fera probrosis movisti proelia scriptis,
 Jam capiti referam perniciosa tuo.
Et faciam doctis sis intestabile nomen,
 Ne tibi quis posthac posset habere fidem.
Te melior tyro naso jam ludet adunco,
 Et pueris tantus fabula doctor eris;
I, sequere, obtorto raptus, nequissime, collo,
 Ad solium Phoebi jam statuendus eris.
Ut meritas referat convicta calumnia poenas,
 Lexque notet frontem Remmia jure tuam.
Jamque reluctantem summâ mea dextra parabat
 Vi trahere ad magni vindicis ora Dei.
Cum mea, Mercurius, servans vestigia, jussit
 A misero, dictis his, cohibere manum.
Quae tibi damnato tam turpi gloria fure,
 Conscia quem stimulis mens aget ipsa feris?
Palma nec imbelli te ducat ab hoste relata,
 Qui tibi convictas jam dedit ante manus.
Fervor, & immodicus juvenilis pectoris aestus,
 Consilio faciant, me monitore, locum.
Non probat hunc in te moderatior ordo calorem,
 Et satis invidiae scis supereesse tibi.
Innumeros hostes, in te qui tela ministrant,
 Jam tibi libertas & pia lingua dedit.
Vtilior, quaeso, posthaec te cura moretur,
 Nec pereat rixis turpibus hora fugax.

Inge-

Ingenium placidas sedatum transfer ad artes,
Et studiis vestrâ gloria crescat ope.
Mellea te teneant Pelynii carmina Vatis,
Vivat & officio culta Corinna tuo.
Qui rate Palladia temeratas prodidit undas,
Membra tuâ videat sana redire manu.
Obsequor, o, retrahoque manum, certissime ductor,
Et mihi, quam pietas induit, ira cadit.
Hanc tamen, in quam se fugitivus conjicit, aedem
Auspicio liceat jam penetrare tuo.
Hîc, ait, Arcadiae sublimis curia surgit,
Barbariae proceres qua dare jura solent.
Arbiter hîc doctum corruptus judicat orbem,
Et fora Dictator sacra superbus agit.
Qui tenet † hoc fasces anno temerarius, hostis
Ille tui caussam sanguine junctus agit.
Dat veniam hîc balbis, vexat censura disertos,
Et notat eximios & sine labe viros.
Nuncius e doctis huc advolat undique terris,
Et nova mendaci murmure Fama serit.
Cernis Ephemeridas conductos texere scribas,
Quas levis ingenti turba favore legit:
Et bona pars blando venalem munere gentem
Allicit, & libris ambitiosa datis.
Scilicet ut laceris intexta volumina peplis
Auctoris faciant nomina clara tui.
Hanc sibi enim legem gens mercenaria dixit,
Laudibus ut penset munera missa datis.

Possidet

† Bernardus Ephemeridum scriptor, qui, quae in Republ. literaria
nova prodeunt Opuscula, nuntiat.

Possidet hic multis conclavia ditia libris,
Cui modo vix codex unus & alter erat.
Exiguo crescit res huic libraria sumptu,
Datque novos cupide Bibliopola libros.
Imperat hoc cunctis vestigal Censor acerbus,
Et genus auctorum dura tributa premunt.
Sic ubi me monuit, Dominos hic esse superbos,
Regia Mercurius tecta subire jubet.
Limine vix tacto ; quicumque, resiste , viator ,
Clamat, & insano janitor ore tonat.
Quod genus? unde domus? qui te genuere parentes?
Quae tibi sunt artes? quae tibi secta placet?
Quem titulum jactas? quod dat tibi patria nomen?
Quot tua jam libros impigra dextra dedit?
Omnia nam nostris haec consignanda tabellis,
Ut tua posteritas fata futura sciatur.
Proripe, Mercurius, te limine protinus, inquit,
Non agit hunc famae vana cupido virum.
Nec venit, ut vestrae captet praeconia gentis,
Aut titulos turpi munere vilis emat.
Degeneres animos haec jactet nominis aura,
Inque vicem mulam mula strigosa fricit.
Magniloqua fatuis hos lingua vendite fumos;
Fallite, quos laudis ducat inanis amor.
Janitor, ut jussus temerari cernit heriles,
Ad dominum, qui tum sceptra tenebat, abit.
Hostis io! en vestros turbat novus advena fines,
Et parat infesto tecta subire gradu.
Haeccine, Dictator, toleranda audacia, magne?
Sic tua contemni jussa, nec ulte, sines?

Jam

Jam coëat, fremit Hic turbata voce, Senatus,
Ut ferat in dubiis turba sodalis opem.
Fit strepitus tectis ingens, resonantque cavernae,
Unicus in tota clamor, ad arma, domo.
Huic stilus, huic calamus, quem theca promit, acutus
Sumitur, huic clypeus crassa papyrus erat.
Sic ruit ad solium gens conjurata Tyranni,
Pro domini caussa certa subire necem.
Unus Ephemeridum deerat celeberrimus auctor,
Cui Selecta decus *Bibliotheca* dedit.
Hunc oculis furiosa cohors, hunc voce requirit,
Hunc petit ingenti murmure quisque Ducem.
Sed, modo de manibus nostris clapsus, opacam
Repferat in cellam, membra ligante metu.
Mox tamen, a sociis latebra deprensus in atra,
Cogitur ad solium Principis ire sui.
Siccine Dictator, timidissime, prodis amicos,
Clamat, & imbelli non capis arma manu?
Quo tua nunc abiit famosa protervia linguae?
Quo cecidit mentis spiritus ille ferae?
Nunc age, pro caussa communi suscipe ferrum,
Telaque in infestum mitte parata caput.
Sponte laceffitus tibi jam venit obvius hostis,
Et tua jam multo vulnere terga secat.
Nil mihi cum tali posthac erit amplius hoste,
Respiciens leporis more fugacis, ait.
Cum mihi jam, populis pandens oracula, princeps
Fixerit in celsis Ordo tropaea jugis.
Et mihi Philosophi dederint jam terga fugati,
Dic, quid cum Critico Grammaticoque mihi?

D

Qui

Qui nisi literulas & nudas vendere voces,

Quaeque carent justo pondere dicta, nequit:
Carmina vel venae ludit monumenta pusillae,

Aut facit ad populum publica verba rudem.

At mihi quotidie crescit nova pagina; nemo est,

Qui numero plures scribat in orbe libros.

Edita qui nobis numerare volumina speret,

Is citius numeret sidera fixa polo.

Pigritiae vitam sequitur laudator inertem,

Jam vacuus marcet lustra labore decem.

Me labor & famae commendat cura petenni,

Hunc natum vix scit terra Batava sibi.

Vespera per lusus & pocula ducitur illi,

Me vigilem mediâ nocte lucerna videt.

Huic solidae demunt parrem convivia lucis,

Me studiis alacrem sobria mensa refert.

Ille jocis mordax, dictisque facetus habetur,

Me decorat nubes frontis opaca gravis,

Et nitor ingenii, morumque polita venustas,

Cultaque natalis munere lingua soli.

Aëre sub denso, crassisque paludibus orto

Huis animus Batava rusticitate tumet.

Muneribus proceres, & plebs me laudibus ornat

Jam canor Eois occiduisse plagis.

Denique tam solidis mihi fulta est fama columnis,

Posset ut has juvenis spernere tuta minas.

Nec titulos dabit haec, neque laetos rixa triumphos,

Nec Leo cum damâ bella fugace gerit.

Unica, frangamus quibus hostem tela tumentem,

Sunt super, o nostri Rex venerande chori.

Ejus

Eius ut aeternis damnatur fama tenebris,
Postera nec norint secula facta viri.
Qui meruit nostras, annalibus excidat, iras;
Nomina nec fasti commemorare velint.
Et data si fuerint temere praeconia quondam,
Deleat haec jussu facta litura tuo.
Dixerat, & turbam jam pene incenderat omnem,
Cum prope Mercurium meque venire videt.
Averfoque tremens postico elabitur, & se
Finitimae confert in regionis agrum.
Caetera Mercurium, posito, venerata, furore,
Turba, sibi numen conciliare studet.
Ne ve suae noceant unius crima genti,
Sed premat auctorem debita poena, rogat.
Supplicibus veniam miti Caducifer ore
Dat, placida demens fronte sonoque metum.
Utilis esse potest doctis industria vestra,
Meta ministerio si modo justa datur. (lumen,
Vestrum opus est, capiat quodcumque docere, vo-
Et nova doctorum scripta referre virum.
Sit procul a tenui rabies fastusque labore,
Et teneat verum scriptio vestra modum.
Nulla magisterii vobis insignia Phoebus
Esse, sed ut sitis nuncia turba cupit.
Nec grege de vestro quisquam censoria vibret
Fulmina, nec procerum scripta verenda notet.
Imperiosa tonet ne vilis verba viator,
Consulis aut partes lictor acerbus agat.
Jam positō repetat quisquis sua pensa tumore,
Et sibi mandatum viribus acquet opus.

Non mihi, confiteor, clementia tanta placebat,
Visus & est aequo lenior esse Deus.
Siccine, juste Deus, toties qui castra tumultu
Musica turbarunt, latus abire sines?
Si tibi rixosae, dixi, stat parcere genti,
Omnis in hoc unum recidat ira caput.
Jamque ego, si pateris, fugitivum persequor, & quis
Se latebris quaerat condere, scire volo.
Annuit ut, ducente Deo, mox garrula linquo
Tecta, per aversas egrediorque fores.
Et premo dum campo fugientis terga patente,
Persequor adversi montis ad usque pedem:
Instar enim modico surgebat vertice montis
Collis, & appositam despiciebat humum.
Arx ibi, sed temere munita, cacumine summo
Arcadiae positas gentis habebat opes.
Praesidium, variis miles collectus ab oris;
Maxima sed Francae portio gentis erat.
Quae simul ac clivo popularem vidi anhelum,
Haec, ait, o patriae gloria, castra subi.
Quem fugis, o vindex hodierni maxime secli,
Et nova qui priscis esse priora doces?
Te sibi praefectus nostrae PERRALTIUS arcis
Imperii socium vellet habere sui.
Nam, duce te, veteris mirantes temporis artes
Ingeniis vertent terga pudenda novis.
Te Duce, de Latio ponemus & Hellade victis,
Vt decet, Armoricis lacta tropaea jugis.
Arma cape; en nostrae, quem tu fugis, imminet arci
Hostis, & intrepidâ suscipe frena manu.

Ille,

Ille, ubi se tutum credit munimine valli,
Imperii tumidus clamat honore novi:
Claudite jam socii portas, defendite muros,
Diraque in adversum stringite tela caput.
Excitus hoc media PERRALTIUS arce tumultu
Prosilisit, & pavida corripit arma manu.
Quis veterum, nigro, clamat, protractus ab orco,
Vim parat, & regnis bella superba meis.
Jam, puer, alternis dextram sermonibus arma,
Telaque fer, prisci quis cecidere viri.
Jam latus *interpres* stipet, vernacula turba,
Et veteres nostro quae docet ore loqui.
Scripserunt patriâ qui *commentaria* lingua,
In medium strictis ensibus agmen eant.
Tot *lepidos* nobis qui confecere *libellos*,
Subsidio firment ultima terga suo.
Imperio extremum mecum tutabitur aequo
Agmen, ad hanc nostram qui fugit hospes opem.
Proditis ignotas qui tot majoribus artes,
Sedula lixarum turba subite vices.
Dixerat: & portis aciem praefectus apertis
Explicat, atque aditu me prohibere parat.
Sed, simul ire Dei ductu me vidit ad arcem,
Ignava fugiens projicit arma manu.
Ultimus exierat, repetit munimina primus,
Qui modo in imperii parte receptus erat.
Cetera turba, ducum vanos imitata pavores,
Festino rediit in sua septa pede.
Vectibus hic portas, hic objice munit aheno,
Ferratas geminat postibus ille seras.

Sed labor, ut semper, miseris lassabat inanis,
Nam, feriente Deo, mox patuere fores.
Sponte, seris lapsis, se ferrea claustra relaxant,
Et media jam me sistit in arce Deus.
Atque, age, Barbariae Thesauros inspice, dixit,
Et quas praeccipue possidet Arcas opes:
Incutiat nullum levis armatura timorem;
Jam posuit iussis arma coacta meis.
Inque suas calatum tractat dilapsa cavernas,
Quae modo vibrabat dextera tela minax.
Ad laevam domus ampla jacet, depressoque multo
Fornice, quae recto vix super extat humum.
Hic latet Arcadiac sub terra condita Gaza,
Haec, duce me, domus est jam subeunda tibi.
Atria sublustra pellebant luce tenebras,
Quam dabat auratis multa taberna libris.
Protinus intranti nitidos eme, culte, libellos,
Hospes, ait blando Bibliopola sono.
Seu liber obscuros Orientis discere reges,
Raptaque Pellaear Persica regna manu.
Seu vacat historias populi lustrare Quirini,
Fata vel Augustae scire vicesque domus.
Sive placent Tragici sublimia verba cothurni,
Seu recreant focci dicta jocosa levis.
Seu juvat arcanas rimari Principis artes,
Aut populum rector qua ratione trahat.
Sive polit mores ratio quae mira venustos,
Seu bene dicendi cura leposve movet,
Omnia non tetricis hic en conscripta magistris,
Francia quos populis ingeniosa dedit.

Sed

Sed procul a nostris, si quaeres forte, tabernis,
Quos facit horribiles lingua Latina, libri.
Nec nisihi, doctrinas quae tradat, charta molestas
Venditur, aut criticis pagina plena notis.
Hic quoque non turpi cariosa volumina tabe,
Vermibus exesos aut tibi finge libros.
Si tibi sumosus, si tectus veste suilla
Delicias faciat scriptor, abire licet.
Emtores tibi quaere, novis qui lenta libellis
Otia, Mercurius, fallere, dixit, amant.
Quis labor & pretium pereunt, hac merce parata,
Scriptave quis iterum projicienda placent.
Mox sonus ex aula media pervenit ad aures,
Et mea convertit lumina turba frequens.
Rhetor ab excelsa faciebat verba cathedra,
Arcadiae dotes deliciasque canens.
Maxima materies, Francae praestantia linguae,
Et nitor, & secli forma polita novi.
Quis furor, exclamat, veteres ediscere linguas?
Perdere quis studio tempora prima levi?
Quid tibi cum lapsis, pubes popularis, Athenis?
Quid facit ingenio Graecia vasta tuo?
Cultior est nostro sub Rege recentior actas,
Quam prius, Augusto Principe, Roma fuit.
Ingenio populum quae Francia vincit utrumque;
Eloquii superat vi quoque sola duos.
Miretur rapidi si quis Demosthenis arma,
Fulminei stupeat qui Ciceronis opes:
Audiat is nostros caussas orare Patronos,
Et decus hoc, dicat, secula nostra ferunt.

Quae

Quae mihi verbosus non taedia fecit Homerus,
Et vix humano Pindarus ore tonans?
Quem tua jam tangunt numerosa poëmata, Flacce?
Cui pius Aeneas Ascaniusque placent?
Rustica jam tua sunt, teneri Praeceptor amoris,
Carmina, nec nostris moribus apta satis.
Cynthia vix levibus jam pulchrior esse figuris
Creditur, & nullum Delia nomen habet.
Quis tibi jam scenae vellet dare regna, Terenti?
Laudaretve tuos, frigide Plaute, jocos?
Tot tibi tamque dabit facundos Francia vates,
Immodicam rabiem qui cohibere sciant.
Quis calor ad leges, quas fert nova turba, domatur,
Nec nisi cum sana qui ratione furunt.
Quis legat historias, o mendax Graecia, vestras?
Aut amet annales, credula Roma, tuos?
Vix pueros ducunt nostrates Caesaris acta,
Bellaque Pellaei prodigiosa Ducis.
Impleat hoc aevum Ludovici gloria Magni,
Materiem libris millibus ille dedit.
Gesta triumphalis, populares, condite Regis,
Qui rediit victor semper ab hoste domum:
Et ne posteritas tot credere mira recuset,
Occupet haec nostras unica cura manus.
Est animi nobis libertas rara, fidesque,
Et bona mens, culti fida magistra styli:
Haec puerο primis sint sola elementa sub annis,
Jam tener ut Regem discat amare suum.
Hinc veniet rerum multo tibi grandior usus,
Quam si praeteriti temporis acta legas.

Si tamen e Latio vel Graeco fonte rigandas
Ingenii venas pauperis esse putas.
Ecce tot in nostram conversa volumina linguam,
Quas pia nativas dat tibi Mater opes.
Jam poteris doctus, jam jure disertus haberi,
Excutias patriae si modo scripta tuae.
Hoc precor ad dextram conclave intrate, juventus,
Quantaque sit nostri, discite, gaza soli.
Haec habet interpres spatiosi membra Palatî,
Hic vertit veteres impigra turba libros.
Dividit his aequa Praefectus lance labores,
Et famulæ subeunt pensa diurna manus.
Huc ego, pertaesus declamatoris inepti
Jurgia, Mercurio, me, praecunte, fero.
Ordine perpetuo subsellia longa tenebat
Turba, caput cubito fulta, stilumque tenens.
Servabant cuncti taciturna silentia, & ora
Albebant cera pallidiora nova.
Pulpita celabant librorum mole latentes,
Spissaque stipabant Lexica utrumque latus.
Scalpebat caput hic, digitos rodebat & ungues
Alter, in hirsutas ibat at ille genas.
Vellebat sparsos aliis sine lege capillos,
Hic sibi rundebat pectus utraque manu.
Ille minabatur muros foedare cerebro,
Quod nova non prisco vox foret apta sono,
Quodque diem membro cum totum impenderit u-
Cerneret elumbi repere verba gradu.
Unus erat, denos qui bis sudaverat annos,
Curtius ut posset veste nitere nova.

E

Hic

Hic Taciti tentans acnigmata vertere Francis,

Egerat in tenebris plurima lustra nigris.

Jam duo Pindarici jugularant carmina Flacci,

Tertius & munus jam rapiebat idem.

Quid referam gemitus & lamentabile murmur?

Quo veterum implebat saucia turba domum.

Hic Cicero primum succiso poplite labi,

Hic lacero visus pectore flere Maro.

Hic meus, a stolido nudatus milite, raptas

Lugebat veneres, Arbiter, ire suas.

Miscebat lacrimas tenerorum Lusor amorum,

Delicias postquam sensit abisse sibi.

Talis erat Gothicō facies populante furore

Italiā, docti quo periēre libri.

Sic erat, ingenuas cum Turcus perderet artes,

Pelleret & doctas ex Helicone Deas.

Haec recolens, iterum nostrum trepidare pusillum,

Et mea vitantem lumina, cerno, virum.

Hac quoque Barbāiae, tu Gallule, parte morarise?

Hic quoque tu pretio vertis, inepte, libros?

Jam mihi supplicium pendes reprehense, nec ultra

Effugies nostras, improbe latro, manus.

Parce per, o, clamat, veneranda oracula Christi,

Quae tibi protendo versa labore meo.

Impie, divinas tibi quis corrumpere chartas

Suasit, & impurā tangere sacra manu?

Qui, pia Christiadum quae gens Mysteria credit,

Cuncta jubes tectis fraudibus ire foras.

Religio, scissos dudum laniata capillos,

Se doluit misere, te jugulante, mori.

Quae

Quae pretas Regem movit spectata Borussum,
Movit & ardorem, terra Britanna, tuum.
Haec eadem Belgas sanctas flammabit in iras,
Ut sua sit summo gloria salva Deo.
Et tua vindicibus jam cernes ignibus uri,
Scissaque carnificis scripta perire manu.
Haec ego dum toto commotus pectore fundo,
Jam trepidâ noster verterat ora fugâ.
Mercuriusque sequi, leni sermone, parantem,
Increpat: o furiis hunc modo linque suis.
Castus in infestum jam plures Numinis hostem
Armavit Mystas religionis amor.
Me sequere, & noctis cum pars modo parva supersit,
Has, duce me, patulas ingrediare fores.
Par erat hic spatum, similisque prioris imago,
Multaque scribentum turba jacebat humi:
Ex Polyantbeis, congestos inter acervos,
Alterius cupide diripiebat opes.
Deque Locis furans Communibus omnia, grande
Promebat parvo tempore scriptor opus.
Lexica cum Glossis, Analecta, Theatra, Medullae,
Thesauri, Methodi, Bibliotheca, Penus.
Fasciculi, Flores, Syntagma, Symbola, Silvae,
Notitiae, Tabulae, Lampas, Acerra, Faces.
Deliciae, Phrases, Suadae, Proverbia, Claves,
Atria, Vestibulum, Janua, Porta, Viae.
Et quae praeterea jejuno sueta supellex
Materiem crassis suppeditare libris.
Omnis in immundis erat haec farrago grabatis,
Corpore quos humiles turba premebat iners.

Mox medios inter video discurrere lectos,
Quis erat in dextra parva crumena manu.
Agnovi, & mecum, gens haec Libraria certe est,
Cui pretio grex hic vendere scripta solet.
Edita jam pridem reparare volumina, quidam,
Et nitidis, clamat, stat renovare typis.
Dote nova poteris qui curam ornare recentem,
Huc ades, & doctis amplificare notis.
Sed mora, ne lucrum pereat mihi, longa facessat;
Cras operis debet pagina prima dari.
Septima quaeque dies foliis sit meta quaternis,
Sex habeat finem mensibus iste labor.
Hanc quicumque fidem dederit, sestertia septem,
Bis feret, & denos, munera larga, libros.
Tollit ad haec avidas promissa *Minellius* aures,
Seque levant *Thysius*, *Farnabiusque* toris.
Hoc mihi, projecta ferulâ, *Schrevelius*, inquit,
Si tibi sint cordi commoda, detur opus.
Mox alii, quorum nisi Ludi nomina Rector,
Nemo tibi dicat, vociferantur idem.
Nos pete, *Germani*, gens indurata labore,
Clamant, si lucri pectora tangit amor.
Contenti modica mercede, volumina vasto
Pondere consuemus prodigiosa dare.
Vbere praeterea ditabimus indice molem,
Frons & erit titulis ambitiosa novis.
Emerita mihi nil cum gente, librarius inquit:
Jam poscunt alias tempora nostra manus.
Gens mihi de culto quaerenda politior orbe,
Cui bene scribendi mens cynosyra bona est.

Hanc

Hanc mihi, si quis adeat, operam det honestior ordo,
Francia quem fausto sidere terra tulit.
Haud satis est obscura notis exponere longis,
Tritaque vulgatis promere dicta libris.
Ipsa sed Auctorum verbis confusa novatis,
† Perpetuo filo reddere verba decet.
Haec nova divino Francis ars tradita dono,
Et venit haec libris maxima lena novis.
Surgit ad has voces immensa tapetibus altis,
Purpureisque levat membra, caterva, toris.
Grandiaque attollens aurata volumina dextris,
Principibus, clamat, plebs date vilis iter.
Qui Latio profugis, & pulsis Hellade Musis,
Munificus Princeps hospita tecta dedit,
Edere *Delphini* veteres nos jussit *in usum*,
Quot reliquos fecit dira ruina, libros.
Obtigit haec largi nobis provincia jussu
Regis, & haec nostro sunt data jura choro.
Non sinathoc, latebras erumpens, clamat, Apollo,
Gallulus, Arcadiae civis ubique suae.
Magna premit nostram per vos infamia gentem,
Jamque sumus Belgis Teutonibusque jocus.
Has ego, qui variis implevi pectora rebus,
Pro Gallis partes omnibus unus agam.
Teque clientelae gens dede libraria nostrae,
Si sapis, & nostris legibus ede libros.
Sufficit emtori, licet omnia debita desint,
Si modo nostra gerat nomina fronte liber.
Plura locuturus, per turbam lumina volvit,
Obticuitque, Deum meque venire notans.

† Paraphrasi.

Nec mora, se foribus trepidans ejicit apertis,
Se latebris sperans condere posse novis.
Insequor, & reprimente Deo conamina frustra,
Omnibus hunc vastae partibus arcis ago.
Ut tamen obsecum se sentit ubique, nec ullum
Securum tota vedit in arce locum.
Confugit ad muros, & trans munimina cursu
Dum salit, offenso poplite serpit humi.
Nec minus, has claudio vires addente pavore,
Per vacuos campos & loca plana fugit.
Donec ad Arcadiam quod flumen circuit omnem
Venerit, assidue post sua terga videns.
Moxque, suum mittens coenosas corpus in undas,
Oppositam subiit fessus & ater humum.
Seque Melanchlaenis, (nam fors hanc obtulit oram)
Miscuit, ut requiem posset habere brevem.
Occupat amplexu venientem laetus *Arius*,
Hospitis & veteris colla, *Socine*, premis.
Et tunc forte vagans dubiis *Spinosâ* Sophorum
Finibus, ad cari vindicis ora ruit.
Tresque simul junctis feriunt his aethera verbis,
Quartus in hoc nostrum foedus, amice, veni.
Consilio simili, sed dispari fraude, premenda est
Religio, & tectis concutienda dolis.
Haec ego Barbariae spectans sublimis ab arce,
Degener, aeternum, Gallule, clamo, vale.
Jam tibi, quod reliquum superest, exerceat aevum,
Et requiem fesso garrula turba neget. (stem,
Nos premimus, fateor, sed gens haec conficit ho-
Nec, nisi sit leto traditus, ira cadit.

Mox

Mox oculos referens post terga, ducemque requi-
Mercurium sensi tristis abesse mihi. (rens,
His mihi quid, clamo, deserto fiet in oris?
Quis mihi praesidium, quis mihi tutor erit?
Innumeris regio scatet haec incondita monstris,
Jam rapient saevi viscera nostra lupi.
Haec mihi dum fingo, summus me concutit horror,
Et fugit, aurora jam veniente, sopor.

NARRAVI.

СУАЯЯИ